

ac dextrè & fideliter exerceant, nec quidquam
in vitam, aut valetudinem proximi peccent.

De cetero verò morigerum sese gerat &
obsequentem, qui legibus ab amplissimo Senatu
pro Pharmacopœis latis fideliter pareat, ac se-
dulus obsecundet; in ijs enim omnia ac singula
comprehenduntur, quæ Pharmacopolam &
observare decet, & deuitare conuenit.



CAPVT SECVNDVM.

De delectu Medicamentorum
Simplicium, & quibus notis eorum-
dem adulteria deprehen-
dantur.

PRout in animantibus, sic etiam in stirpi-
bus, plantis, ac terrâ genitis, alia alijs præ-
stantiora esse, natura parens voluit, ne nume-
rosa aequalitas rerum confunderet ordinem;
atq; sic inter debilia ac fortia, subtilia ac cras-
sa, dura & mollia, nobilia & ignobilia, noxia
ac innoxia discrimen aliquod appareret, quo
vnumquodq; sua pro dignitate pensaretur, un-

A 5

de

de quibus libet medicamentis sagaci sanè consilio notas quasdam indidit, quibus eorum bonitas agnosceretur, aestimaretur virtus, deligetur substantia, per delectum enim nil aliud quam boni à malo, malefici à benigno, exoleti à vegeto, ac adulteri à sincero distinctionem intelligimus; atq; ea Pharmacopæo cuius adeo est necessaria, ut si in hac parte exercitatus ac circumspectus non fuerit, non semetipsum tantummodo pravis mercibus decipi experietur, sed etiam Medicos sperato à pharmacis fructu inde privari, ac operatione eorundem debita destitui, imò etiam agrotantes errore hoc (etiam si fraus non subsit) in damnum agi, vel si dolus comes est, periculosè circumueniri, utroq; autem modo valetudinis ac vita detrimenta subire continget.

Sciendum porrò, delectam cuiusvis medicamenti pro diuersâ sui conditione ex diuersis fontibus peti; alia enim sapore dignoscuntur, alia pondere aut leuitate probantur, nonnulla colore arrident, alia odore placent, plurima naturalitj soli commendatione ac patria nobilitate gaudent; quorum exēpla in gratiam Pharmacopæorum subiecimus.

Ab-

Abinthium expetitur Ponticum, quod in Cappadocia in monte Tauro nascitur, reliquo praestantius, utpotè cui præter amaritudinem astringendi qualitas non parua inest, odor verò suavis ac aromaticus. Vide Dioscorid. lib. 3. cap. 23.

Acacia eligatur munda, nigra quidem ex maturo, subrusa verò ex viridi semine parata; utraq. odoris laudati fragrantiam præ se ferens, de qua Dioscorid. lib. 1. cap. 115. Adulteratur ea succo, vel carne prunorum sylvestrium, verum dolo leuipendendo, cum iisdem viribus polleant.

Agallochum seu Lignum Aloës in India promontorijs nascitur, in quibus ferocissime bellua, ac Tigres victitant, unde non sine summo vitæ periculo hinc asportatur, quamobrem cum priscis saculis eius copia non adeò suppeteret, id solum in Paradiso nasci antiquitas est opinata, quæ proinde id ipsum lignum Paradisi nominare consuevit. Optimum est perquam odorum, ponderosum, crassum, nigricans, cineris quibusdam notis distinctum, solidum, compactum ac succulentum, quod accensum
agrè

agře flagret, & oleaginci liquoris plurimum
exudet. Improbatur leue, cariosum, albicans, ac
id quod flammam statim concipit, vel fractū
puluerem edit. Distinguitur inter alia ab As-
spalatho, quod is in ignem coniectus flammæ-
scat, & in cineres abeat: Agallochum autem
Resinæ instar prunis impositum lique scat.

Agaricus ab Agariâ Sarmatiæ regione no-
men habens eligatur candidissimas, leuit ac
feminei sexus, rarus, friabilis, primo gustato
dulcis mox amarus, è Cedro vel Larice re-
sectus. Improbatur grauis, nigricans, corro-
sus, & qui candici propè adnatus inhaesit.
Optimus quondam ex Sarmatia per Illyriam,
& ex Galatia Asiam, & Cilicia Alexandriam,
atque inde Venetias deuehebatur, nunc Tri-
dentini montes Gallia Delphinatus nec non
Rhetorum Vindelicorum Noricorumq; tractus
eundem sat copiosè suppeditant. Distinguitur
is facile ab aliarum arborum maxime verò
glandiferarum fungis, colore solum obseruato
ac pondere, hi enim è lignea quadam materia
concreti duri & nigricantes conspiciuntur, ex-
cussis è silice vel pyrite flammis pro exploden-
dis

dis sclopetis fomitem potius præbenses, quam ad Medicum usum accommodati.

Aloë placet Dioscoridi lib. 3. cap. 22. boni odoris, sincera quæ nihil doli sensit, nitida, calculorum expers, rufi coloris, friabilis, ac jejunos modo coacta, facile liquefcens, eximia amaritudinis. Improbatur nigra, & fractu contumax. Adulteratur Acacia, aut facibus per ablutionem ab ea separatis ac rejectis, aquâ marina & Croco, vel etiam admixto Gummi, veruntamen frans odore & gustus amaritudinis deprehenditur. Tres ad nos Aloes species devehuntur, una spurca ac fax quedam Aloës veterinarijs & mulionibus agnita Caballina dicta: altera purior nobiliorq, hepatis modo densata, unde & Hepatica nuncupata: tertia verò præstantissima Soccotrina vocata, eò quòd ex Insula Soccotora ortum trahat, quam nonnulli ob coloris gratiam Succotrinam quasi succo citrinam dixere.

Ambra seu Ambarum quod nonnulli Balenæ semen, alij excrementum Ceti, non pauci terram quandam fungosam ab Insulis quibus pura Ambra innascitur avulsam esse arbi-
trari-

trantur, bituminis quoddam genus nobis esse videtur, ex imis maris fontibus & procellarum alucis ventorum vi ac undarum impulsu in littus eructatum, quod aëri expositum, ut Electrum ilico densatur. Probaturn odoratissimum, leue, sordibus carens, grisei coloris, venis modo cinereis, modo albicantibus, ac notulis quibusdam rufis, croci colorem imitantibus distinctum. Improbatur nigrum & candidum, itemq; quod anium rostris, quas in eo ridiculari credibile est, aut conchylijs testisq; ostreorum permixtum reperitur, optimum sive si prater predictas bonitatis suae notas candente acu perfosum plurimum oliaginei ac pinguis succi resudet. Adulteratur gypso, Ligno Aloës, Zibetho, Styrace ac Ladano, addita Ambra largiore, & Moscho aqua Rosarum dissoluta, verum fraus facile detegitur, etenim plerumq; postea ea nigricat, diuturna manuum tractatione mollescit. Vide Serapionem, Garciam ab Horto, Nicol. Monard: Medicos Florent. & Matthiolum.

Amomum adulteratur Amomide, herba quidem simili, sed planè inodora, nec fructum ferente.

ferente, ex Armenia delata, flore Origani, cuius tamen semen Amomo vero non respondet. Est tamen Officinis semen quoddam oblongū, aromaticum, calefactorium, & gustu suave, quod quis pro Amomo vero substituere queat Amomi Cretici nomine insignitum.

Ammi Æthiopicum cumini semper representat, Ammi autem vulgare semen est perpusillum & quasi arenaceum. Id odoratum esse aromaticum ac acre, imò sapore Origanum amulari conuenit.

Ammoniacum Gummi sic dictum, quod in Africa iuxta Iouis Amonij oraculum stillat. Probatum sincerū, densum, purum, odore castoreum utcūq; referens, & sapore amaricans.

Anime, lacryma quaedam est Indica cuiusdam arboris, ex qua resina modo densata tandem & coacta reuellit, gratissimi ac suauissimi odoris & prae pinguis, unde flammis iniecta protinus consumitur. Desertur granorum Thuris forma, sed crassioribus & magis resinosis; optimum est mundum, album & succini modo translucidum.

Asa dulcis Officinarum est Benzoinum
Gummi

Gummi arboris peregrina, quod nunc ex Ta-
probana India Insula copiose à Lusitanis ad
nos deuehitur, id Laserpitium seu succum
Cyrenaicum nonnulli esse non abs re arbitran-
tur, qui olim in Cyrenensium agro laudatissi-
mus extabat. Probatur autem Benzoinū du-
rum, compactum, translucens, albis distinctū
unguibus aut glebulis, unde & Amygdaloi-
des dicitur, quod quasi amygdalas delibratas
in se contineat, rubescens, odore grato, fragran-
tiq^{ue}, xyloalois odorem referente preditum. Ad-
ulteratur resina Thure masculo, ac Styrace si-
mul mixtis, est odor in spurio hoc longè est dissi-
milis, & color maculis non est variegatus. O-
ptimum quondā in Armenia & Lybia Laserpi-
tiū nascebatur, minus autē prebatur Mediū
& Syriacam, ut quod Dioscor: minus viribus
valere & magis virosū odorem reddere
scripserit. Ut sit Benzoinum nostrum Offi-
cinarum pro Laserpitio vero rectissime sub-
stituitur.

Asiam fetidam Arabibus Althith dictam,
Laserpitiū speciem quondam esse cum pleriq^{ue}
arbitrentur, censendum erit id esse Laserpi-
tium

tinum Syriacum, aut in Media natum minus
 proinde nobile, quod grauem ac virosam odo-
 rem edere paulo ante ex Dioscoride monui-
 mus; aut certe Laserpitium faba lomento, aut
 Sagapeno (ut idem notauit Dioscor.) eoque co-
 piose adulteratum, id ob tetri halitus graueo-
 lentiam Germanis Teuffelsbreck dicitur, ad-
 eoque suo nidore abominabile, ut Matth. Sylua-
 ticus id inter venena reponendum esse censue-
 rit, cuius factori etiam matrix elocata ac supe-
 riora petens cedit & demergitur. Nec verò
 quempiam terreat hoc, quod Gercias ab Horta
 Indos Asam in delicijs habere, eaque in condien-
 dis cibis confricato ex ea ante cocturam lebetes
 creberrimè uti scripserit, aut enim barbaram
 gentem tali condimento uti decuit, ut consi-
 miles haberent labra lactucas, aut alioquin e-
 ius odore assueti id ceteris condimentis accom-
 modant, prout & nos Allio, cepis, & alijs qui-
 busdam foetidis cum delectatione vescimur,
 unde etiam Mesua Asam foetidam Porri (cu-
 ius nobis usus in mensis sat frequens est) odo-
 rem repraesentare scripsit. Adulterata gustu &
 dilutione, quin imò factoris remissione vel de-
 B fecta

fectu cognoscitur. Vide de hac *Auicenam* lib. 2. cap. 5. *Garciam* ab *Horto* lib. 1. cap. 3. *Antonium* *Musam* *Brassauol.* in *Exam. simpl.* *Renodæum* lib. 1. de *materia Medica* *Sectione* 7. cap. 8.

Aspalathus in *Syria*, *Istro* aut *Rhodiorum* *Insula* natus, tantam cum *Agallocho* affinitatem obtinet, ut ægrè quandoq. ab hoc discerni queat. Lignum tamen *Aspalathi* multò tenerius est quàm lignum *Aloës*, nec ita nodosum. Probatur *Aspalathus* densus, odoratus, grauis seu ponderosus, ac gustu amarus, in quo *Plinius* aliqualem *Castorei* odorem requirit, in eius defectu Lignum *Aloës* commodissimè substituitur, licet nonnulli eius defectum *Santalo* *Citrino*, aut ligno *Rhodio* à *Santalo* *Citrino* parum differente resarciant. Vide *Dioscor.* l. 1. cap. 19.

Asphaltum ex *Phœnice* *Babylone* *Zazyntho* *Sydone* ac mari mortuo delatum, lucidum ut sit ac splendeat oportet, præterea grauem & validum odorem vibret, estq. id aridum Bitumen senioris *Andromachi*, quod contra venenatorum cubilia usurpari monuit,

cuius

cuius meminisse videtur Plinius lib. 35. cap. 15. cum Bitumen quoddam accensum serpentes nidore fugare scripsit. Adulteratur pice admixta, licet Galenus id fraudem haud admittere lib. 1. de Antidotis sit arbitratus, deprehenditur autem mangonium si citius quàm par est, lique scat, sordidum verò vitiosum est. Optimum in Iudæa, non longè à Hierico propè Iordanem, maximè verò in lacu Sodomæo reperitur, vnde etiam Bituminis Iudaici nomen obtinuit. Vide Dioscor. lib. 1. cap. 83. Galen. lib. 1. de simpl. Med. fac. cap. proprio, & Brocardum, qui Palestine topographiam edidit. Plin. lib. 35. cap. 15. Appolloniaticum circa Epidaurum natum, vel id quoq, liquidius Bitumen est, Pissasphaltum potius dicendum vel Naphta liquidiorè substantia prædita, qualem etiam Germaniæ loci nonnulli suppeditant, quod Bituminis genus nobis Erdenharz dici solet.

Æris flos aris scoe tenuissimè delimata polluitur.

Bdellium laudat Galenus Scythicum, Plinius Bactryanum, Dioscorides Sarracenicum è Saraca felicit Arabiæ Ciuitate deuectum, gustu amarum; translucidum cum frangitur;

pingue cum fricatur. & incenditur; idq; odorum, facile mollescens, sordis expers ac unguinosum, seu albis maculis ungui humano similis refertum. Improbatur nigrum, sordidum, in offas conuolutum; adulteratur cera, sed fraus odore ac gustu innotescit, id enim nec tam amarum est nec tam odorum, Lege Dioscorid. lib. 1. cap. 69. Plin. lib. 12. cap. 11.

Bezoardici lapidis duo in Officinis nostris genera prostant; unum Orientale, quod ex Aegypto, Persia, India, China, Cathaio & vicinis regionibus adfertur: alterum Occidentale, quod ex America & Peruvia asportatur. Praefertuntur Orientales Occidentalibus, ut qui duplo maiori pretio veneant. Probantur ex Orientalibus ij maxime, qui è nigro virescunt, & quorum pulvis subuivridis est; deinde qui superiore crusta ablata inferiorem splendentem habent, ac in meditullio concavi sunt, aut arenulam lapidi substantia similem continent. Semen aut granum in meditullio supra quod Indi mangonio lapidem efformant, adulterium arguit. Si calce viua madefacta lapis ungatur, indeq; paulo post flauus color emergat legiti-

munis

num lapide esse pollicetur, prout si lapis charta quae creta confricata prius fuerit similiter affricetur, & fricationis linea viridis appareat. Occidentales subcinereū habent colorem, & longè grauiores sunt, neque ut Orientales splendent, crustas etiam habent crassiores & gypseas quae fracta minutas quasdam fibras artificioso naturae opificio sese mutuo complemententes obtinent, cum qui ex pasta quadam effecti sunt radios eos haudquaquā contineant.

Camphora eligatur alba, pellucida, syce-
ra & valde odorata, quaeque pani calido im-
posita madescat, adulteratur Gummi Iuni-
perino aut admixto Bitumine, fraus autem
odore & colore minus candido detegitur. Ser-
uatur semine Psyllij aut Lini, vel etiam Pipere
sepulta.

Cardamomum Amomo facultate co-
gnatum ac viribus affine, duplex est, maius ni-
mirum ac minus: maius granum vocatur Pa-
radisi: minus, vulgare est & agnitum Offici-
narum Cardamomum, probatur angulosum
mundum, non puluerulentum, siccū, acre, lin-
guam vellicans, ac odorum.

Caryophyllis ob vetustatem in odoris redditis fragrantia restituitur, si vino in quo optimi Caryophylli per tempus macerati fuerint, aspergantur, rursusq; exsiccentur. Verum hiforis tantum, nec quidem diu Caryophyllos olent, acquisitio hoc odore breui temporis spatio pereunte.

Cassia lignea & Cinamomum odoratissima sint oportet, aromaticam acrimoniam plurimam habentia. Adulterantur corticibus Capparis ac Tamarisci in aqua Cinamomi maceratis & siccatis, veruntamen dolus hic rarus est, cum & facile deprehendatur, & aliquo nec leui sumptu constet.

Cassia fistula probatur Alexandrina, amplis siliquis grauis ac ponderosa, quae concussa granis intus per strepitibus sonum non edat, cortice leui ac purpureo ascente, pulpa intus pingui, splendente, succulenta, non situlenta, multo minus putri sapore prunorum delicato.

Castoreum Castoris seu Fibri testes sunt, optimi qui ex uno principio committuntur, liquore intus veluti ceroso, odore graui & viuis redolente, gustu acri, mordente, ac friabili

natu-

naturalibus tunicis circumdato. Adulteratur coniecto in follem Ammoniaco, aut Gummi cum sanguine, & Castoreo subactō, atq; sic postea exiccato. Agnoscitur dolus cum ex notis iam modo allatis, tum quia gemini folliculi in una membrana coniuncti non reperiuntur. Dioscorid. lib. 2. cap. 23.

Chinæ radix sit crassa & nodosa, dura & tuberosa, rubea & tortuosa, minimè cariosa, quod alioquin ei vitium ferè inest.

Crocus in Coryco Ciliciæ monte, & Austria præstantissimus nascitur, rufus sit, odor, & colore rutilans, qui madefactus protinus copiosè tingat. Adulteratur flore Cnici, pulvere Bresily ac sapa sublitu, sed maleficiū detegit defruti subolentia, quin & Lithargyri ad pondus eius cum fraude augendum admixtio ex pulvere insidente deprehenditur. Quidā nequissimo dolo Crocum aqua perfundunt, & per hanc colorem ab eo extrahunt, eum postea liquorem filis, pannis ac tapetibus tingendis adhibent, Crocum rursus resiccantes & in hominū fraudē diuendentes. Veruntamen Crocus sic deprauatus agnoscitur, cum quia mar-

tidus apparet, nec ita plenus, tum quia nec odoris fragrantia, nec coloris fastigio aut excellentia legitimo ac recenti respondet.

Costus in Arabia, Syria, ac multis India locis, praesertim verò in Guzarate, & circa Amadabar qua in desertis sita est, nascitur, differt autem loci in qua prouenit diuersitate, praestantior tamē est Arabicus, candidus, leuis, abunde plenus, non erosus, acritudinem & amaritudinem habens, ac eximia odoris suauitate praeeditus. Arabicus albus est, Indicus niger, Syriacus flauescens, is qui modo Officinis ex usu est, radix existit Zingiberis ferè effigie intus albida, exterius ex pallido flauescens. Costum Officinae in amarum & dulcem diuisere, sed reuera Costus omnis amarus ut sit oportet, nisi quis respectiue aut collatione cū amariore seu acriore facta id asserere velit: aut certè Costus dulcis erit radix illa Hellenij Comaginei, quam fraudulentè pro Costo obrudi scripsit Dioscorides, ea enim nec gustu feruet, nec validum odorem vibrat, ex quo eius adulterium deprehenditur, Zedoaria maior seu longa Costus Syriacus esse putatur. Nos in tanta rerum diuer-

diuersitate eius loco Zedoariam vel Angelicā recte substitui posse censemus. Vide Dioscorid. lib. 1. cap. 15. & Matthiolum in Comment. Garziam ab Horto lib. 1. cap. 35. Clusium & alios.

Elemi resina est Cedri aut Olea Æthiopica, eligatur ex citrino pallescens, perquam odora, pura, & à puluerū admixtione aliena. Adulterata resina sed fraus odore fit manifesta.

Euphorbium ab Euphorbo iube Regis Mauritania Medico nomen sortitum, eligatur translucens, & ex rufo pallidum, in granula Orobi magnitudine concretum, quod leui gustu os diu accensum teneat. Mangonifatur Sarcocolla & Gummi Arabici glutinis vel etiam sanguinis hœdini admixtione, sed gustus qui tamen hoc loco ob linguae vredinem difficile experimentum parit, maleficium dijudicat.

Galbanum ferule in Syria nascentis succus est. Laudatur cartilaginosum, merum, thuris effigiem habens, purum, pingue, nec valde humidum, nec nimis aridum grani odore preditum, & adiecti seminis ac ferule nonnihil admixtum habens. Adulteratur resina &

B 5

Anno.

Ammoniaco ac faba fresa puluere, sed id cum notas iam dictas non habeat facile à vero dignoscitur.

Galanga quæ quibusdam Cyperus Babylonicus esse putatur, eligenda grauis, rubra, sapore acerrimo linguam vellicans, ac odorata. Adulteratur radicibus Cyperi vulgaris repurgatis & cum pipere in aceto maceratis, deprehenditur fucus abrafo cortice, interior namq; pars nec acrimoniam, nec saporem Galanga obtinet.

Granati facile noscuntur, & in ignem proiecti colorem non mutant, quod vix ulli Gemmae colorata concessum est, utiles sunt utriq; tam Bohemici quam Orientales.

Hyacinthus adulteratur vitro Saturni seu Plumbi, id autem à vera Gemma pondere & duritie facile distinguitur, mollius enim & grauius est vitrum ipsa vera Gemma.

Ladanum maximè probatur odoratum, subuiride, facile mollescens, quod arenas non collegit, resinofum, nec squallore obsitum, quale ex Cypro defertur, nobilius enim est Arabico aut Libyco. Pasta ex caprino stercore admixto

Ladano

Ladano & puluere nigro eius formam emulatur, verum id quia resinofum non est, ideo adulteratum esseprehenditur.

Mechoaca, qua nonnullis Rhabarbarum album, aliis Scammonium Americanum dicitur, eligatur alba ac recens, improbaturnigra, cariosa, & valde candida. Adulteratur radicibus Bryonia in taleolas sectis, & ad formam Mechoacæ resiccatis, dolum teneritudine Mechoacæ deprehenditur, cum Bryonia substantiam longè rudiorē sit nacta.

Moschus siccus sit, perquàm odoratus, ac caput feriens, cum simulat massa quadam è sanguine hœdi, pane asso, Ladano, ac Moscho constans, porro color & legitimus à factitio discernunt, præterea legitimus in peluim modicè madentem aliquandiu impositus grauioreuadit, factitius pristinum pondus seruat.

Myrrha laudatur Troglodytica, fragilis, leuis, undiq; concolor, minutis glebis, amara, acris, odorata, & quæ confracta ungues exhibet, inutilis est ponderosa & coloris piceæ. Adulteratur Gummi macerato in aqua, in qua Myrrha maduerit, sapor & odor dolum aperiunt. Vide Dioscorid. lib. I. c. 67.

Nar-

Nardus seu Spica Indica (quam Romanam vocant) odorata sit, haudquaquam cariosa vel puluerulenta, etenim ei stibium cum aqua aut palmeo vino ponderis causa à fraudulenti inspiratur. Alterum Spicae genus Celticum in Liguria alpebus natum herba quaedam simili, quae ob odoris grauitatem Hirculus dicitur, ei admixta mangonifatur, verum herba haec minoribus foliolis magis candicat, atq; insuper nec amare est vt Nardus vera, nec adeo odorata.

Opium optimum habetur graue, & densum, gustu amarum, odoratu soporiferum, quod facile aqua diluitur, non asperum nec grumosum, quod lucernis admotum non atra flammaluceat, extinctum deniq; odoris vim conseruet. Adulteratur id Meconio, Gummi, aut syluestris Lactuce succo, verum id quod lactucacoco succo effictum est exiliter spirat, quod Glaucij admixtionem sensit in dilutione croci colorem reddit, quod Gummate vitiatum est splendescit, ac infirmum existit. Vide Dioscorid. lib. 4 cap. 60.

Opopanax in Cyrene Libye & Macedonia

natum

natus commendatur amarissimus, internè albus aut subfulvus, foris ad croci colorem inclinans, lavis, pinguis, friabilis, tener, statim in aqua eliquejens, gravi odore preditus. Improbatur niger ac mollis, nec non Amoniaco aut cera fuccatus, dolus agnoscitur ex eo, quod si sinceris non sit, in aqua digitis fricatus non resolvitur, nec lactescit ut legimus.

Opopassamo vero hucusq; caruimus, deferuntur tamen ad nos duo Balsami genera unum Peruvianum ex nouo Orbe aduectum, de quo Clusius: alterum è regione quadam India quod Balsamum de Tolu vocant, quorum utrumq; in Syriaci locum substitui potest. Adulteratur oleo Liquidambar, quod tamen ei viribus affine fere est, aliàs verò vnguento Terebinthino, Susino, Balanino, Metopio, Cypriano, Lentiscino, itemq; Melle, vel Cypriâ cerâ liquidâ, Inter veri Balsami notas hæc est una vel præcipua, quòd Balsami liquor lacti instillatus id ipsum coagulet, in vestem verò laneam effusus maculum non faciat, & post lotionem nauum seu notam non relinquat. Vide Prosp. Alpinum & Simeonem.

Os

Ose corde cerui, consimili osse e corde bonis
desumpto confunditur.

Rhaponticum à Rhabarbaro solo (ut
quidam volunt) loco in quo nascitur, differt.
Rhabarbarum enim ex Meridionali, Rhapon-
ticum verò ex Septentrionali plagâ aduehi-
tur: adhuc Rhaponticum radice constat lon-
gâ & tenui, Rhabarbarum verò crassâ & bre-
ui. Optimum habetur quod teredines non sen-
sit, & quod gustatum cum remissâ adstrictione
lentescit. Rhabarbarum ponderosum sit, aureis
ac rufis venulis abundè distinctum, quod ma-
defactum croceo colore manum fricantis tin-
gat. Hodie verò Clarissimus Vir D.D. Prosper
Alpinus Marosticensis, Philosophia & Me-
dicina D. & in celeberrima Academia Pata-
uina Professor ordinarius, ac horti Medici ibi-
dem præfectus, nobis genuinam ac verâ Rha-
pontici descriptionem & figuram expressisse
videtur, cuius plantam ab Excellentissimo Vi-
ro Francisco Crasso Rhagusino sibi dono datâ,
multis in horto suo annis aluit, cuius celebra-
te Patavinus hortus etiamnum gaudet. Na-
scitur aliouin Rhaponticum in Scythiâ ac
Thra-

Thraciâ iuxta montes Rhodopæos : videturq;
inter Hippolapathi latifolij genera reponen-
dum : cuius naturam emulatur ea Lapathi
species, quam vulgus herbariorum Rhabarba-
rum Monachorum hucusq; nominare consue-
vit. Vide Prosperi Alpini diss. de Rhapon. eru-
ditissimam, & Hieronymum Traguin c. 104.

Sagapenum quod Officinis Serapinum
 dicitur, ex Mediâ ortum ducit. Laudatur
 translucentum, colore foris fulvo, intus albido,
 gustu acri, odore gravi, substantia crassa. Adul-
 teratum haud facile liquefcit, verum autem
 protinus vino dissolvitur. Vide Dioscorid. &
 Galen. lib. 1. de Antidot.

Santalum rubrum Brasilio ligno adulte-
 ratur, fucus autem ex hoc patefit quod Santa-
 lum rubrum nec dulce sit, nec inficiat, quæ no-
 te in Brasilio deprehenduntur. Vide Garziam
 ab Horto l. 1. cap. 17. Citrinum & album ligno
 Cedrino odoratiore ementitam quandoq; for-
 mam sortiuntur.

Sarcocolla eligatur integra, pulverisata
 namq; adulterij est suspecta.

Scammonium optimum Antiochenum .



& *Armenium*, expetitur nitidum, splendidum, clarum, rarum, fungosum, tenuissimis fistulis spongiosum, cito liquecens, tenerum, friabile, non valde ponderosum, liquoris affricturn lactescens, nec tetro odore nidorosum. Adulteratur *Sarcocolla* & *Tithymali* lacte, aut *Erui* farina, sed tunc linguam minus valenter purgit ac mordet.

Sena eligatur viridis, probè ressecata, non maculosa, nec teredine attrita, vel stipitum admixtione fraudata.

Smaragdus & *Saphyrus* vitris colorem eorundem representantibus manganisantur, proinde in ijs coemendis circumspectos *Pharmacopæos* esse oportet.

Styrax *Calamita* ideò nuncupata, quod olim in calamis è *Pamphilia* ferebatur, nunc *Storax* *Officinis* dicitur, qui optimus ex *Cypro*, *Sidone* & *Pisidia* asportatur. Probatur pinguis, lentus, fragmentis albicantibus, odore iucundo, probò, ac perseverante dotatus. Reijciendus furfurosus, situ obductus, niger, & inodorus, utpotè depravatus, qualem quoq; videntur ~~magmata~~ *ex ligni scobe* quâ vermiculo

miculi erodentes excusserint, melle, Iridis sedimento, cera, aut adipe odorato cum Styrace confecta.

Tamarindi adulterantur Prunis, attamen hi non ut legitimi splendent, nec tantam aciditatem saporis referunt, cum præterea Prunorum nuclei à Tamarindorum seminibus longè sint diuersi.

Terra Lemnia ac Sigillata, itemq; Bolus Armenus variâ terrarum aliarum maxime verò lentarum ac limosarum admixtione polluitur, adeò ut fraus ea vix quandoq; deprehendi posse videatur, probatur tamen Bolus Armenus, ac Terra Lemnia vel Sigillata si vinctuosa fuerit, præpinguis ac levis, quæ lingua promptè hæreat, & in ore contenta è seuo constare videatur, nullam vel minimam arenosam alicuius substantiæ notam, vel suspicionem post se relinquens. Vera Sphragis ex Lemno olim petebatur, nunc Turcarum Imperatoris sigillo variis characteres habente notata tabula cinericei ferè coloris Constantinopoli ad nos deuehuntur. Bolus Armenus ex Armeniâ quondam Cappadocia finitimâ adferebatur, quem

C

Medicâ

Medici Boli Orientalis nomine dotarunt, in quo hæ notæ requiruntur, ut purus sit ac syncerus, nihil arena continens, manducatus verò butyri modo liquecat, gustui manifestam adstrictionem post se relinquens, ac qui promptissimè admixto liquore in summum leuorem soluatur. Sunt & aliæ Terræ his viribus ferè affines quas veteres probauere, inter quas Samia, Chia, Selinusa, Cimolia, Eretria, Rubrica Synopica ex Synope Cappadocia vrbe delata, Ochra Attica, Pnigitis, Alana seu Tripolis, & aliæ eiusmodi: nostro porrò tempore Melitea insula Terram præbet Lemnie vires habentem, prout & Silesia Terram Sigillatam, Turcica haud inferiorem nobis suppeditat.

Thus Gummi & Pineâ resinâ deprauatur, ignis maleficiûm monstrat, nam Gummi flammam non edit, resina verò fumat, thus statim ardet ac odorem præbet gratum. Eius cortex alijs corticibus resinosis adulteratur, porrò Thuris cortex ardet, & iucundum effumat spiritum, reliquis corticibus ardentibus quidem, sed sine odore fumantibus.

Turbith ponderosum sit subalbitum, aut
cine-

*cineritium, recens, ac fractu facile, intus
Gummosum, mangonifatur Gummi dissolu-
to, radicibus alijs illito verum hæc gumositas
non extrinsecus tantum, sed in fracta radice
substantiâ requiritur.*



CAPVT TERTIVM.

De Collectione Medicamen-
torum Simplicium.

TAmetsi in peregrinis Medicamentis cer-
tum collectionis tempus sciri nequit, eorū
tamen color, sapor, odor, ac species iudicium
nostrum subeunt, ex quibus omnibus ac sin-
gulis, collectionis debito modo & tempore fa-
cte notas desumere possumus: ea porro qua
nostris terris innascuntur, tum demum col-
ligere ac in usum medicum congerere oportet,
cum maxime vigent, aut matura sunt, vel ad
propria virtutis perfectionem plus magis ac-
cedunt. Sciendum autem non eodem omnia
tempore legi posse, cum alia serius, alia ci-
tius adolescant: media verò cuiusq; planta

C a

etac